

## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manvscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodiêre

Complectens Sanctos Mensivm Septembribis Et Octobris

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10262**

De S. Leodegario episcopo & martyre.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77413](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77413)

DE S. LEODEGARIO EPISCOPO ET MARTYRE: 545

Sermocinatisbus Elia & Eliseo, subito currus & equi ignei rapuerūt Eliā, quasi vsq; in cælū. Qui profecto currus & equi, Angelica sunt intelligenda Virtutes. De quibus scriptū est: Currus Dei decē millibus multiplex, millia lantantium: Dominus in illis. & iterū: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignē vrentē. Horū nanq; Elias subīdio, vtpotē homo purus, quō à terra tolli posset agebat. Et Dominus cum Apōstolis loquens, subito vidētibus illis eleuatus est, & si non Angelico fultus auxilio, Angelico ramen comitatus obsequio. Vereq; est assumptus in cælū, Angelis quoq; id ipsum attestantibus, qui illis dixerūt: Hic Iesu qui assumptus est à vobis in cælū, sic veniet. Subleuatus ad cælū Elias, dimisit Eliseo pallium quo erat inductus. Ascendens in cælū Dominus, sacramenta humanitatis assumptæ discipulis, immò Ecclesia quibus sanctificaretur in virtute dilectionis, ac caleficeret, reliquit. Assumens Eliseus pallium Eliæ, percussit eo aquas Iordanis, & vbi inuocauit Deū Eliæ, diuisæ sunt, & transiit. Assumperūt Apostoli, assumptis instituta per eos omnis Ecclesia, sacramēta sui redemptoris. Quibus spiritualiter erudita, abluta & consecrata, ipsa quoq; inuocato nomine Dei patris, impetū mortis superare, eiusq; obstaculo contēpto, ad vitā transire didicit sempiternā, iuxta quod Dominus in Euāgelio dicit, inquiens: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filiū hominis: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quoniam qui credens in Christum, passionis suæ sacramenta credendo, confitendo, sinceriter imitando, fideliter sumit, saluatur in perpetuū ab omni morte quam peccando in anima pariter & carne contraxit, & non solū perditionem euader pœnarum, sed & vitam percipiet sempiternam.

Ad quam beata & gloriose semper Virginis & genitricis suæ Mariæ Dominæ nostræ, ac istius patroni nostri beati Remigij, meritis & intercessionibus, in fide recta & bonis operibus nos perseverantes, & per acceptiōē corporis & sanguinis sui vñ se cum effectos perducere dignetur, & per eadem humilitatis eius sacramenta usque ad contemplandā diuinitatis eiusdem gloriā, quam ipse fidelibus seruis suis fideliter pierate pollicetur, dicens: Qui diligit me, diligetur a patre meo, & ego diligā eū, & manifestabo ei meipsum. Meipsum manifestabo, inquit, id est, non qualem me omnes conspiceret, qualē etiam inuidi crucifigere, sed qualē in decore suo Regem seculorū soli vivere possunt oculi mudi sanctorū: talē me ad rependendā vicē dilectionis, his qui me diligūt, ostendam. Pertingere faciat Christus Iesu Deus & Dominus, conditor & redemptor, atque ab omni morte ac corruptione saluator noster, in qua cum Deo Patre, Spiritu sancto coæternus & consubstantialis ac coæqualis, viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

VITA S. LEODEGARII EPISCOPI AVGVSTODVNENSIS ET MARTYRIS, AVTHORE VRSINO, QVI  
eam scripsit, iubente Ansoaldo Pictorū Episcopo, Stylum paſſim  
nonnihil elimauit F. Laur. Surius.

P R A E F A T I O A V T H O R I S.

Omino, sancto que Pictorū pōtifici Ansoaldo, peccator Ursinus. Iussioni obtemperāt vestrā, beatissime papa, summo perē vrgēte Audolpho, patre monasterij beati Maxentij, vt de vita & passione beati Leodegarij, pauca ē multis eius bonis cōmemorando scriberem: equidem opus suscipere atque etiam edere cupiebam, sed imperitia & simplicitas mea atque iners facundia non valet explicare tanti viri virtutes. Cuius quidem patientia modernis innotuit temporibus, sed multa iam ante perpessus est, quā nemo nouit, nisi ille solus, cui ea intrinsecus exposuit. Nam finis operis ostendit extrinsecus, quanta int̄is clam & nemine cōscio sit operatus. Quæ tamen mihi de eius vita cognita sunt, multorū relatione comperta, quāquām rusticō sermone, vobis imperatibus, edere conatus sum: in quibus si interdū prolixioribus verbis vñs videbor, feci id, vt à veritatis linea non discederem. Si quid verō ex eius virtutibus prātermis, non studio id factum est, sed ignorantia. Puto autem, etiam si quis multa sermonis sublimitate & eloquentia huius viri Dei res gestas apertius explicare velit, non posse id citra mendacij notam fieri. Poteram forassī etiam ego, annuēte Deo, occultis & incognitis verbis vti: sed ea causa nolui, vt rusticī & illiterati me possint intelligere, & homines pīj ac Deo deuoti eius imitari exempla appetant, cuius miracula cognouerint.

2. Octobris.  
Cap. 1.  
S. Leodega-  
rius puer, li-  
teris admo-  
natur.



GITVR beatus Leodegarius ex Francorum præcelsa & nobilissima progenie ortus, in primis aetatis initij a parentibus in Clotarij Regis palatum adductus est: nec diu post ab eodem Rege Didoni Pictauensis vrbis praefuli, auunculo scilicet suo, literarum studijs imbuendus traditus est. Is autem præfui cuidam Dei sacerdoti, viro etuditissimo eum erudiendum commendauit, qui etiam per multis annis magna cura eum docuit, ac deinde bene institutum Episcopo reddidit. Receptum autem Episcopum suo cubiculo sub disciplinae custodia adhibuit, ut quemadmodum ipse se castum corpore conseruaret, ita illum quoque sui lumen efficeret. Quamobrem etiam creberrime illum admonendo dicere solebat, ut se virginem conseruaret, quod posset in Ecclesia Dei dignum electio- nis effici vas. Oprabat enim illum eius ciuitatis post se Episcopum habere.

Cap. 2.  
Fit Diaconus, inde Archidiaconus.  
Multæ eius corporis & animæ do-  
tes.

Cap. 3.  
Preficitur monasterio S. Maxentij.  
• Blitilde

Creatur Au-  
gustoduni  
Episcopus.

Cap. 4.  
Childericus  
eligitur Fra-  
corum Rex.

Ebroinus  
efficitur mo-  
nachus.

Cui quidem rei cum illum cerneret aptum & idoneum, annos ferè viginti natu, Diaconum ordinavit. Deinde non multo elapsò tempore Archidiaconus effectus, omnibus eius dioecesis ecclesijs ab eodem pontifice præfectus atque prælatus est. Erat enim egregie facundus, corporis statura procerus, inter plerosque pulcherrimus, adspectu decorus, suavis eloquio, ingenio peracutus, prudentia prouidus, Dei zelo & amore fervidus, perpetuæque virginitatis custos. Scripturæ diuinæ, tum etiam pontificij & civilis iuris cognitione penè omnes eius parochiæ, quæ administrandam suscepit, habitatores antecedebat. Intantum vero & seniores, & aquales, & inferiores omnes superabat, ut eloquentia eius grata esset omnibus, qui cum illo loquerentur, mœstosque afficeret letitia, & criminibus obnoxios ad discipline studiū reuocaret. Et breui quidem temporis spatio, sub illo antisite magnam pacem Pictauensi solo regnum in suis conciliauit.

Cum autem pater monasterij, in S. Maxentij honorem conditi, obiisset, iussu eiusdem pontificis illud regendum suscepit. Quod sex ferè annis ille gubernans, & strukturis & magnis opibus dedit. Interē vero & Episcopo suo egregie probatus, & præ omnibus clarus habitus est, tantaque nominis eius fragrantia in partes omnes dimanauit, ut in ipsum etiā Regis palatiū penetrarit. Per id tēpus minor Clotarius Rex cū Batilde matre regni Francorū habens moderabatur. Qui cum eius prudentiā auditione acceperint, cuperentq; eum apud se in palatio habere, petierunt ab Episcopo, ut ei faceret copiā cum ipsis in palatio manendi. Episcopus statim iussa cōprens, magnis rebus institutū, & sapientiā floribus redimītū, eum misit ad illos, qui eum sanguine honorifice acceperūt. Ille vero intrā paucos dies virtute & integritate sua, sermonisque comitate cōsecutus est, ut Rex & Regina & plerique pontifices eum præcipue charum haberent, consensuque omnium, maximè Francorum, Episcopi funzione dignus, proclamaretur. Itaque ab omnibus electum, Augustoduni, quæ est Heduorum ciuitas, Episcopum curarunt ordinandum. Quo munere decemannis strenue functus cū esset, Clotarius rex, qui eum promouerat, excessit è viuis.

Tum vero beatus Leodegarius Episcopus id audiens, celeriter ad palatum profectus est, & cum alijs de rege constituendo tractare coepit: cūque cōperissent Childericum Australiorū regem adolescentem, pro sua aetate regnum optimè administrare, quædā Francorum pars eum voluit habere regē. Porro Ebroinus, qui sub Clotario Rege Maior domus fuerat, Theodoricū fratrem Childerici nitebatur Clotario subrogare. Eius autem nomen tum erat odiosum apud Francos, ut qui illo rursus iugo premendos se vererentur, quod sub Clotario per eum experti essent. Itaq; Ebroini consilio posthabito, Childericū Francorū Regem elegerunt. Cernēs ergo Ebroinus se destitutū, consiliumque suum prorsū negligi, multo timore correptus, petijt à Rege, ut rebus omnibus derelictis, permitteret ipsi vita incolumi degere in monasterio. Illos sic rogante, & Leodegario quoque pro eo intercedente, Rex assensit, & illico eum ad Luxoviense monasterium ablegauit, ut illic monasticum institutū completeretur. Deinde in regno confirmatus Childericus Rex germanum suum Theodoricum cuidam seruo Dei conseruandum ac nutriendum commisit: porro Leodegarium Episcopum omni domui sua præfecit, & in omnibus Maiores domus esse voluit.

## DE S. LEODEGARIO EPISCOPO ET MARTYRE.

347

Is ergo ea accepta potestate, quicquid aduersus priscorum Regum & magnorum procerum leges comperit ineptè introductum, cùm esset vita & moribus inculpati, ad pristinum reduxit statum. Usqueadè vero totum Francorum regnum usquequam restituit, vt omnes se gratularentur Regem habere Childericum, & palatij praefatum Leodegarium. Cùm hæc annis ferè tribus cum multo decore agerentur, malus dæmon, qui pro insita sibi inuidentia bona destruere solet, administris suis, quos idem antistes sibi socios adhibuerat rerum gerendarum, inuidie faces admouere coepit, & per illos inter Episcopum & Regem discordia zizaniam seminare. Imminente igitur rum Paschatis celeberrimo die, Episcopus à Rege petijt, vt Augustoduni Heduorum ciuitate diem sanctissimum celebraret. Non abnuit Rex, sed Episcopi precibus studet obsequi. In ipsis igitur vigilijs Paschæ pro antiquo more illis pariter euntibus ad Missarum solennia celebranda, odij seminario adhuc latitante, is qui malorum inceptor erat, accedens ad Episcopum, ait; Caueas tibi sancte pontifex. Missarum enim celebritate peracta, iusl Regini interficiendus es. Nam semen nequam, ab hostibus tuis in eius satum pectore, hac nocte excret sese.

His auditis, dissimulat interim Episcopus, neque eam rem magnipendens, laetum & Cap. 6. serenum vultum exhibet, inchoataque Missarum solennia honestissime consummat. Postquam autem ipse & Rex Eucharistiam sumperant, Rex ad palatium pransurus abscessit. Episcopus vero peracto ministerio, haustoque cum suis mero, ut sese habet humana fragilitas, Regis animos metuens, cum illis tractare coepit, quid hac in re agendum videretur. Vbi autem ad Dominum preces fudit, consultius ei visum est, posthabitus omnibus Christum sequi, quam cædi locum dare, nè manus Regis tam festo die sacerdotis sanguine inquinarentur, atque inde in Francorum odium & contemptum incidet, vniusque hominis causa totius populi concertatio & confitatus oriretur. Relicto igitur Rege cunctisque regni proceribus, pro nihilo dicens, quid in mundo haberetur, eadem nocte cum paucis iter suscepit, eo prefecturus, vbi pauper Christi effici posset. Id vbi Rex cognovit, valde contristatus ac animo moerens, quendam è fidelibus suis cum magno exercitu post illum misit, qui eum tota nocte insecurus, dilucido affecutus est. Deprecante autem humiliter pontifice, vt liceret ipsi quoque, relicto seculo, vacare Deo in Luxoviensi cœnobio, mox id ei permisum est. Itaque celeriter ad monasterium perueniens, Ebroinum iam clericum inuenit, eumque monasteriu rogauit, vt si quid in ipsum peccasset, veniam inuicem pererent, & animorum inter se concordia jungentur. At tamen ab Abbatे seiuisti, aliquo temporis spatio poenitentiam agentes, inter monachorum contubernia tam strenue se gesserunt, vt perpetuò illic in monastico instituto mansuri viderentur.

Peridem autem tempus Childerico Rege defuncto, frater eius Theodoricus ad Cap. 7. regni sceptra peruenit. Id vbi vtriusque amici compererunt, videre illos cupientes, cum ingenti studio & fauore illos ad propria reuocare nituntur. Itaque ad monasterium venientes, cogunt eos inde egredi, & ad suas domos reuerti. At illi multum anxi, tandem illorum dilectioni & amicitiae assentient, quippè quos sua causa nouerant prolixi itineris laboribus fatigatos. Cum benedictione ergo Abbatis, inter se pacis concordia iuncti Leodegarius & Ebroinus, Augustodunum proficiscuntur. Eorum aduentu tota exhilaratur ciuitas, obuiamque eis procedentes ciues, cum magno trumpho eos excipiunt, multum larentes, quod reciperen patrem suum, quem olim se gubernatorem amississe planixerant. Restituant igitur eum in sedem suam? & cum ingenti gaudio pariter afficerent ac tripudiarent, ipse Episcopus voluit altera luce Ebroinum magnis affectum muneribus, honorifice a se dimittere. At Ebroinus non ferens suos vel pauxillum quiescere, nocte fugam capessens, ab urbe recessit, & Austrasios, quos olim aduersarios habuerat, sibi amicos ascivit. Non diu post multis sceleribus, cum sibi flagitorum socios adiunxit, in Francorum fines per vim inuasit, immanissimamque exercens tyrannidem, in Theodorici Regis conspectum venit, atque ab illo in pristinum gradum restitutus est.

Ita ergo prefectus palatij & Maior domus effectus, cogitare coepit de vlciscendis Cap. 8. inimicis, qui eum noluissent habere subregulum, vt author loquitur, id est, Maiorem domus vel palatij principem. Itaque instar leonis rugientis, per Francorum terras rugitus eius insonuit, cunctique, qui olim aduersus eum egerant, qui tamen cædem effugere potuere, fugæ præsidia captarunt. Porro vir Dei Leodegarius instaurandæ plebi suæ intrâ yrbem suam Augustodunum intentus erat.

Tractat cū  
fuis, quo-  
modo S. Le-  
odegarium  
perdat.

Reminiscentes autem Ebroinus malorum omnium, quæ cum Childerico Rege illum  
suspiciabatur sibi intulisse, adhibitis in consilium hominibus inequissimis, cum eis tra-  
ctare coepit, quæ ratione illum Episcopum perdere posset. Ex ijs vero duo, Dido &  
Guaimerus caput malitiæ effecti, aiunt se illum rapere posse ex urbe eius, in eumque  
exercere vindictam, quæ Ebroini malitiam exatiet. Illorum promissis exhilaratus  
Ebroinus, copiosum valde exercitum eis tradidit, cum quo illi festini abierte Heduam,  
& urbem circa moenia vastare coeperunt. Id cernens vir Dei Leodegarius, zelo ma-  
gno accensus erga plebem sibi commissam, & Domini exemplo malens animam suam  
ponere pro ouibus suis, easque lucrificare potius, quam vni sua temporariae salu-  
ti consulere, collecto totius ciuitatis clero, cum reliquis, Crucibus & psallentium  
choris, Deique laudibus obuiam processit hostibus suis, sponteque se obtulit ad ob-  
eundum martyrium, si voluntas percussori non defuisset.

**Cap. 9.**  
S. Leodega-  
rius Ebroini  
iussu capi-  
tur, & lumi-  
nibus orba-  
tur.

At illi, qui eius capiendi causa venerant, nulla erga sacras reliquias moti reueren-  
tia, eum comprehendenterunt. Fertur tunc exclamans dixisse; Gratias ago omnipoten-  
ti Deo, redemptori meo, quod me hodie dignatus est glorificare. Ductus est autem  
ab illis extra urbem, atque illic, ut Ebroinus iussus erutus sunt oculi eius. Et humano  
quidem illum orbârunt lumine extrinsecus, at intus mansit illi diuinum lumen. Cum-  
que cum custodibus tradidissent, in quoddam cenobium perduxerunt, vbi bienni-  
um ferè latuit, & magnum reliquit patientia & humilitatis exemplum.

**Cap. 10.**  
\* Gairinus

Eodem tempore \* Gairinus frater eius, qui ob metum Ebroini cum alijs ab eo  
profligatis Francorum proceribus, alijs in locis degebant, iussu Regis Theodorici &  
principis Ebroini, ad palatum reuerti compulsus est. Simul etiam beatus Leodegarius  
ex monasterio, in quo tenebatur absconditus, in Regis Theodorici presentiam ad-  
duci iussus est. Cumque ambo fratres in principum conspectum venissent, multis  
contumelijs & opprobrijs affecti ab Ebroino, illi sic respondisse feruntur; Nos qui-  
dem dignè hæc patimur, quia peccauimus Domino, sed maior tamen eius clemen-  
tia est, qui nos dignatus est ad tantam gloriam vocare. Tu vero miser Ebroine, qui  
rantam iniuriam irrogas Francorum genti, te ipsum potius viceris, dum alijs vitam  
aufferre cupis. Multos quidem decepisti, & a paterno solo exulare compulisti, at tu-  
ipse magis etiam exul eris, quandoquidem & temporalem & eternam gloriam citò  
perdes. Dum enim totius Franciæ homines excellere meditaris, tuam, qua indignus  
præditus es, gloriam amitis.

**Cap. 11.**

Arguit ne-  
quissimum  
Ebroinum  
S. Leodega-  
rius.

Hæc vt audiuit Ebroinus, furore magno correptus, iussit ministris, vt Gairinum à  
Leodegario separarent, vt separati punirentur, nec possent coniunctim eiusmodi  
sermones proferre. Cum ergo abduceretur Gairinus, beatus Leodegarius dixit ei;  
Aequo feras animo, frater charissime, quod nos isthac pati oporteat, non enim sunt  
condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.  
Peccata quidem nostra multa sunt, sed supereminet magna Dei omnipotentis misericordia, qui ad abluenda se laudantium delicta semper paratus est. Et nos ad breue  
tempus hæc patimur, quia mortis debitores sumus, sed si patienter tulerimus, illa nos  
expectat vita, vbi sine fine letabitur in caelesti gloria. Deinde ministri ad palum alli-  
gatum Gairinum, lapidibus obruere cooperunt. At ille deprecabatur Dominum, ita  
dicens; Domine Iesu Christe, qui non venisti vocare iustos, sed peccatores, suscipe  
spiritum serui tui, & qui me ea gratia dignatus es, vt instar martyrum lapidibus vitam  
istam mortalem amitterem, mihi quoquæ clementissimè des veniam scelerum meo-  
rum. Hæc dicens, inter verba orationis supremum efflavit spiritum.

**Cap. 12.**

Ecc tibi  
immanissi-  
mū tyrannū  
in Ebroino

Immanes S.  
Leodegarij  
cruciatu-

Deus intue-  
tur homini  
cor.

Et beatus quidem Leodegarius cupiebat cum fratre sanguinem fundere, vt simul me-  
rerentur coronari, sed Ebroinus eius obitum differre volens, vt per poenas diu pro-  
ductas ei eternas quoquæ conciliaret, & ne corona frueretur martyrij, immò vero  
etiam præmijs gloriae sempiterne priuaretur, iussit eum nudis pedibus per quandam  
piscinam traduci, in qua erant petrae instar clavorum acutæ. Deinde euulsis iam oculis,  
humì cum prosterni, linguaq; & labia incidi, vt ablatis oculis, pedibus contritis  
& consciisis, lingua & labijs incisis, membrorū vsu crepto, corporis viribus omni ex  
parte enervatis, vt nec oculis posset terram cernere, nec pedibus ingredi, nec lingua  
officio laudare creatorem, tandem in blasphemiam rueret, atq; ita salute omni priua-  
retur, quam laudando Deum, sibi ingentem cælitùs obtinuisse. At vero, qui sine vo-  
ce corda audit Deus, magisque rogatur corde contrito, quam elatione superbo-  
rum, vocem tacantis propensijs audivit, quam elate loquentis. Ille enim vir sanctus  
diuinum

diuinum implorabat auxilium; non sono vocis, sed cordis humilitate. Nam cum se omni humano praesidio destitutum cerneret, totis viribus diuinum sibi adesse poposcit. Itaq; quantum humanam impietas eum a supernis abstrahere moliebat, tantum pietas diuina erigebat ad caelestia,

Porro Ebroinus Vuaningum quandam ad se vocans,<sup>5</sup> Tu accipe Leodegarium, inquit, quem aliquando vidisti virum superbum & tuta cum custodia afferua. Aderit enim quandoque tempus, ut ab inimicis suis recipiat, quod meretur. Vuaningus vero eum ad suum perduxit monasterium, quod Fiscanum vocant, in quo erat sanctimonialium coetus, quibus praeerat Childomara Christi ancilla. In eo monasterio beatus Leodegarius multis diebus misit, adhibitis ei custodibus. At vero lingua eius praecisa suum recepit officium; & magnum doctrinæ semen sparso in populo. Quando autem ad virgines accedebat, tanta, ut fertur, ab eius ore sermonis suauitas manabat, ut mirarentur quicunq; audirent, tanta per illum efficere elementissimum Deum; & morum suorum prautate damnata quamprimum ad penitentie fructus & remedia aduolarent. Ille enim vir beatus diu noctuque in Dei laudibus peruigil adstabat, ut vix parumpè ab ecclesia ad corporis res necessarias interdum recederet, aut quipiam vel cibi, vel somni perciperet.

Ea tempestate Theodosius Rex & Ebroinus synodus multorum Episcoporum ad quandam villam conuocarunt. Et eccè inter ceteros euocatum Diddonem, qui sanctum virum Leodegarium cum Guaimero ab eius sede abstraxerat, poenam subdiderunt, & condemnatum atque decaluatum, expulerunt à sancta congregatione. Deinde actus in exilium, & tandem capite damnatus, poenas eorum luit, quæ in sanctum Episcopum dolosè perpetrarat. Alij quoq; Episcopi à Rege per Ebroinū simili ferè poena mulctati, in perpetuum exilium deportati sunt. Porro Guaimerus, qui Diddoni scius fuerat, ad exequā in sanctum virum Ebroini iussa, cùm ab eodē Ebroino, quod eius tyrannidi assensisset, per fraudem esset in Episcopū promotus, in eius indignationem, Dei, ut putatur, nutu incurrit, multis flagellis casus, turpissimeq;, ut decebat iussi proditorē, condemnatus, laqueo suspensus est, & trāmissus in tartarum. Morabatur eo tempore B. Leodegarius in virginū supradicto monasterio. Iussus est autem eriam ipse accessiri ad synodum, non tamen, ut aiunt, concilio interfuit, sed scorsum Rex & Ebroinus cum eo sermonē conculcisse fertur, multaq; ab eo futura illis predicta fuīscē, que euensis magnificē est. Ebroinus vero in sua malignitate perseuerans, Multum te, ait, ad virum Dei, grandiloquentia tua ad dicendū extimulat. Martyrem te fore suscipias, idcirco hac temeritate vteris. Multum vero te extēdis, sed frustra tale premium expetis. Ut enim cōmeritus es, ita martyrio poteris. Cupiebat Ebroinus sanctum virum in anima & corpore perdere, & cui iam omnem seculi gloriam creptam cernebat, à sanctorum quoquā meritis excludere. Sed quibus rebus ille sibi videbatur eum à Christo auellere, ijsip̄is id efficiebat, ut Christo, quem desiderabat, magis adh̄eret. Quansum enim crescebat eius poena, tantum etiam præmia augebantur.

Tradidit autem illū eidam Chrodroberto, iubens ut eum multa cura custodiret.<sup>7</sup> Venier enim quandoque, ait, tempus, quo tollatur ē medio. Ille acceptum eum, duxit ad domum suam. Cernens vero eum ex itinere & morbo defessum, nullus refocillandi eius causa porum ei præberi. Sed priusquam ad eum pincerna veniret, ingens lux instar circuli ē cælo descendens super caput eius resplenduit. Tum illi qui aderant, Quid sibi vult, aiunt, domine, quod super caput tuum sphærica figura apparet, carlitus lapsum lumen splendidissimum, cuius nos antehac nunquam simile vidimus? Ille vero in terram prostratus, Gratias ago tibi, inquit, omnipotens Deus, omnium consolator, qui super me seruum tuum tale dignatus es ostendere miraculum. Porro reliqui omnes, conspecto, eo lumine, tanquam extra seip̄in ecclasiū rapti, tandem collectis viribus, simul laudauerunt Deū, & ad se mutuo conuersi, dixerunt; Reuera hic homo seruus Dei est, simulq; promiserunt, se toto corde velle ad Deum conuerti. Atque ita eius sermonibus penē omnes, qui in illa domo erant, patresfamilias, eius coniuncti & familia tota, cōuersi sunt ad Dei cultum. Quotquot autem eius famam percepere in locis adiacentibus, ad eum concurrebāt, verba salutis audituri. Ille vero non cessabat sua prædicione docere omnes, quæadmodum ad regna cælorū possent peruenire.

Sed non multo euoluto tempore, cū iam præpotens Deus pro tam insigni patientia decreuisset remunerare fidelem seruum suum<sup>8</sup> Ebroinus iam obstinatus, volens suam in eum crudelitatem perficeret, velocissimos post eum equites missit, qui cum neci

In quodam virginū monasterio ab se uarur. Loquitur præfali- gua.

Dido dat poenas sue in S. Leodegarium crudelitatis.

Item Gual- metus.

Cupit Ebro- nus S. Leo- degariū in anima & corpore p- dere.

Magna lux calitus de- scendit in S. Leodegariū

Multos cō- uertit, fa- cta sua præ- dicacione.

Cap. 16.

**Quatuor equites mit tuntur ad trucidandū virum Dei.** neci darent. Illi ergò acceptum eum è domo viri illius, cui custodiendus datus erat abduxerunt per loca ignota. Cumque ad certum locum ventum esset, illic constituit, ità dicens: Non opus est, filij, ut diutius vos fatigemus. Cuius causa huc venisti, id ocyus perpetrate, ut satis fiat votu vestro. Ad eum autem cædem quatuor missi erant: è quibus tres prouoluti ad pedes eius, rogabant, ut ipsis veniam daret, & suam benedictionem impertiret. Quartus verò superbè erectus, districto gladio paratus erat ad perpetrandam cædem.

Cap.17.

Postquam autem data benedictione, percussoribus suis benè precatus est vir Dei, & verbum Dei eis ministravit, in preces incumbens, ait: Domine Deus omnipotens, pater Domini nostri Iesu Christi, te benedico, te glorifico, qui me dignatus es ad hunc certaminis perducere diem. Oro & obsecro te, Dominè, ut tuæ pietatis misericordiam mihi impertas, & sanctorum tuorum meritis dignum me facias, & eorum participem, vitæque æternæ consorem. Ignosce illis, qui affligunt me: quandoquidem ego, clementissime pater, per eos credo me in conspectu tuo glorificandum. Dùm hæc diceret, percussor sublatu gladio amputauit caput eius. Ferunt tum ex his se se corpus eius, & quasi horæ vnius spatio stetisse. Id conspicatus percussor eius, pede eum trusit, ut citius in terram corrueret. Sed miser ille non diu post arreptus à demonibus & mente captus, diuina in eum vltione animaduertente, in igne se coniecit, & mortuus est. Iussu autem coniugis viri huius Chrodoterti, in villam Sarcingensem magno omnium luctu deportatus à ministris, & cum vestibus, in quibus trucidatus fuerat, in exiguo oratorio beatus martyr sepultus est sexto Nonas Octobris. In quo monumento annis duabus & dimidio humatum fuisse ait.

Cap.18.

**Multa miracula ad se pulcrum eius.** Ea tempestate sacerdos quidam, eius oratorij curam gerens, lumen splendidissimum noctibus didicit eo in loco absque humano ministerio fulsisse. Eius reis fama in vicina loca sepe diffudit. Itaque multa languentium turba ad beati martyris venerationem orationis causa cō adueniens, à diuersis morbis liberata est. Claudi gressum, cæci lumen receperunt: purgati sunt ab iniuro spiritu demoniaci, nec raro in venerando illo loco lumen emicuit, quemadmodum illius ecclesiæ sacerdos testatur. Eiusdem sacerdotis minister, clericus & custos illius ecclesiæ, quadam nocte rebus suis omnibus per fures spoliatus est, in quibus fuit etiam caligula beati martyris, quam pro eius reverentia apud se absconditam habuerat. Is ergò mature ab oratorio surgens, ad domicilium suum abiit, & omnia sua ablata conspexit. Properè ergò redit ad beati viri sepulcrum, orans ut furto erecta restituat. Et quidem tota illa die & nocte in oratione & psalmodia ad eius tumulum ieiunus permanxit, atque inde reversus domum, res suas omnes sibi redditas inuenit. Serui quidem illius, qui hoc furtum fecerat, do minus iurauerat, ne quaquam id eum perpetrasse: sed domum retiersus, mox abiit e vita. Seruus quoque scelus, quod admirat, male consummavit.

Cap.19.

**Iustus luit mortis portas nuncius quidam.** Tum verò fama sanctitatis beati martyris longè lateque manauit, & paulò post ea, quæ gesta fuerant, ad Ebroini quoquè notitiam peruenire. Ille verò nuncium clam misit, qui accuratè inquireret, & rem certam ad ipsum referret. Paret nuncius, venit ad beati viri tumulum, discit à custode, vbi sit humatus sanctus martyr. Proprius inde accedens, non solum precari non vult, sed etiam per contemptum pede humum percudit, & Dei virtutem nesciens, stultè & impiè dicere non vereatur: En mortuum, nulla virtutum signa efficientem. Abit inde, sed priusquam nunciare posset ei, à quo missus erat, in seipso martyris virtutem experitur, in ipso itinere sublatus. Id vbi rescivit Ebroinus, apud se tacitum habet, nec cuiquam præter coniugem id indicare ausus est, nè forte crescente gloria martyris, ipsius apud populum existimatio diminueretur, ut qui tale lumen extinguiere conatus sit. Sed interim ramen, quanto plus miser ille virtutes beati viri latèrē cupiebat, tanto illorum fama ubique augefiebat magis. Tribus inde ferè elapsis annis, omni lachrymarum fonte plangendus Ebroinus, qui illustrem hanc lucernam nitebatur extinguere, iuxta Dominī sententiam, cum multos ipse gladio interemisset, gladio percussus interiit. Infelix sane ac miser, tantis auctus honoribus, & per cuncta mundi climata eius industria propagata fama, apud mortales cum primis celebris, quandoquidem noluit conuenienter præcepto Domini Salvatoris, inimicis suis veniam dare, sepe miserè perdidit, permultos ad celestia regna transmisit.

Cap.20.

**Matth. 26. Ebroin' misere perit.** Postquam autem miser ille viendi finem fecit, cum multa latde in palatiū carum rerum rumor penetrauit, quas ille diu supprimere studuerat. Aderatum illic magna Episco-

Matth. 5.

Cap.20.

DE S. LEODEGARIO EPISCOPO ET MARTYRE. 551

Episcoporum & procerum frequentia. Qui cùm inter se de sancto martyre conferrent, admirarenturque ea, quæ de illo dicebantur, vir sanctissimus Ansoaldus Picta-  
uorum Episcopus, Vtinam, inquit, licet mihi, in mea parochia habere corpus eius,  
quem meum constat fuisse parentem. At verò Erméncharius, beati viri in Episcopa- En quāti fe-  
tu Augustodunensi successor, Iure quidem, inquit, mihi dabitur viri huius corpus: cent ant-  
cū iustum sit illuc eum requiescere, vbi sunt Episcopii. Denique Vindicianus presul Forum rei  
Atrebarense, in cuius dioecesi interemptus erat, ita dixisse fertur: Nequaquam ita quia,  
fiet, vt vos sancti pontifices locuti estis: sed mihi fiat potestas sacrum beati viri cor-  
pusculum retinendi: quippe qui illi loco datus videatur, in quo dignatus est quiesce-  
re. Tum una omnium Episcoporum, qui illi aderant, sententia fuit, vt iejunia & ora-  
tiones in hoc conflitu fierent, vt sic dignaretur Dominus ostendere, in cuius dioecesi iure sacrum illud corpus condendum esset. Indictio igitur iejunio & precibus, tres  
chartulas, eorum sententiam continentis, altari imposuerunt, vt expletis precibus  
Dominus declararet, cui beati martyris corpusculum esset tradendum. Completis  
ergo precibus, & Missarum solennijs celebratis, unus ex ministris iussu pontificum  
dubiam manum immisit sub altaris pallam: eaq[ue] retracta, quid agendum esset, ap-  
paruit. Id conspicati omnes, qui huic spectaculo aderant, acclamárunt Ansoaldi  
pontificis esse iustiores preces, chartula extracta id satis declarante. Ita ergo sine villa  
ambiguitate confirmato concilio, cuidam viro Dei, Abbatu suo, Audulpho, qui à san- Transfertur  
cto martyre nutritus fuerat, Ansoaldus praecepit, vt oxyüs pro sancto corpore profi- sanctu cor-  
ciseretur, & cum debita reverentia illud usque ad Pictauense solum perduceret: vi pus eius ad  
vbi se diuino cultui mancipárat, illuc eius lucerna perpetuò emicaret. Fecit vir Dei solum.  
Audulphus, vt Episcopus imperárat, & properè abiit ad locum, in quo sanctum illud  
corpusculum quiescebat.

Vbi id audiérunt, qui in circuitu eius loci habitabant, tum monachi, tum alij vtri- Cap. 21.  
usque sexū homines, magna deuotione compuncti, confessim eò aduolárint: &  
cum magna partim lātantium, partim flentium turba, sancti martyris, vt Rex iusserat,  
loco suo motum est corpus. Iter autem illis facientibus, res passim diuulgata est: &  
eccē vndiq[ue] sua sponte dextra lāuaque accurrunt plurimi ex monasterijs, villis Magnū ho-  
ac viculis: monachi, clerici, laici, cum Crucibus, cereis, suffitu & odoribus suauissi- minū studi-  
mis procedunt obuiā, tanta hominum frequentia, vt vix quisquam ad feretrum um & deuo-  
posset accedere, sublatumque in humeros portare. Quotquot enim aliquo labora- crum mar-  
rent morbo, si feretrum manu contingere possent, illic sanabantur: nec cuiquam tyris corpus  
negabatur sanitatis beneficium, si ex fide feretri operimentum, aut eius simbris te-  
tigisset.

Inter hac ventum est in villam Gaudiacum Carnotensis parochia, vbi erat puella Cap. 22.  
Radinga, quæ in parentum domo septem annis iacuerat cæca, muta & paralytica. Al-  
lata verò à parentibus ad beati martyris feretrum, ea nocte dormiens per vifum vidis-  
se fertur duos viros splendidissimos, cum alijs illuc adstantes. Cumque euigilasset, & Puella sang-  
visionem admiraretur, oculi visum, pedes gressum, lingua loquendi recepit facultat-  
em Itaque exclamans, ait: Gratias tibi ago, omnipotens Deus, quod per sanctum martyrem Leodegarium sanitati restituta sum. Ab hac laude membris omnibus sana  
erecta, cum parentibus domum abiit, diu post viuctura.

Deinde cùm in Turonensis territorij Solcanum vicum peruenire, quædam dēmo- Cap. 23.  
niaca à parentibus per brachia trācta, elamare cœpit se nolle ad sancti viri feretrum  
accedere. Sed eò inuita perducta, cùm paululum tetigisset feretri operimentum, à de- Irēm da-  
monio mundata est. Igitur ad se rediens, nolebat à feretro separari, timens nō rur-  
sūs arriperetur ab hoste, à quo se cernebat liberatam.

Inde ventum est in Turonensem urbem. Id audiens ciuitatis Episcopus, qui tum Cap. 24.  
aderat, \*Ruotbertus, cum choris psallentium & lampadibus iuit obuiā, acceptum. \*Berthus  
que cum suis feretrum, per medium duxit urbem. Ibi tum quædam mulier, quod di-  
ceretur occidisse maritum suum, collo ac manibus catenis vineta, ita exclamanuit:  
Sibueni mihi beate Leodegari: quandoquidem innocens pereo, à falsis accusatori- Liberatur  
bus alligata. His dictis, mox rupta catena, à collo & manibus dēcidit. Quam illa con- innocens  
iecit in feretrum, compertaque est absque noxa dedisse poenas.

Cum sic autem idem pontifex sacrum corpus cum magnis laudibus per suam pa- Cap. 25.  
rochiam deduxisset, & intrà Pictauense solum peruenissent, paululum in vico Egoran- Claudio  
de quieuit: vbi claudus quidam occursens, postquam ad sacram corpus in preces se- ambulat.  
fe

## O C T O B E R.

552

se prostrauit, statim reualuit: & in pedes erectus, in columnis abscessit.

**Cap. 26.**

Audiens id quædā mulier, cuius manus propriam amiserant formam, digitis adeò incuruis, vt mediae palmae infigerentur, & vngues intrà carnem hærerent absconditi, inuocato Dei nomine & sancti martyris, sanata est: & gratias agens Deo, domum repetijt.

**Cap. 27.**

Illud verò nequaquam silentio premendum est miraculum, quod cùm vir Dei Ansoaldus Episcopus Piëtauorum, sacrum didicisset aduentare corpus, velocemq; mississet nuncium, qui ex villa ipsius, quam Interamnem vocant, abunde vinum promeret, vnde pauperes & reliquum vulgus, quod sanctum corpus prosequebatur, refici posset, idque ita factum esset: non diù post indicatum est, omnia vasa, quæ in cella, vnde vinum depromptum fuit, penè vacua remanserant, adeò redundare, vt vinum in paumentum manaret, & nihilominus vasa manerent plena.

Vasa divinitus redundant vino.  
**Cap. 28.**

Post hæc cùm ad Vigennam fluuium, vicumq; Sannonensem venissent, ventus contrarius vndas commouit. Metuentes itaque nauæ, nolebant admittere, vt in nauim intrarent, nè nauigantes flumen, in discrimen coniicerentur. At vir Dei Audulphus Abbas, cuius curæ sacrū corpus commissum erat, sancti martyris meritis fidens, eos compulit, dicens: Mittite in nauim, & transite securi. potest nanque Deus per sancti sui merita has sedare vndas. Cùm ergò sacrum corpus esset nauim impositum, & nauæ iam nauigare coepissent, confestim vnde subsederunt, & fluuium prosperè transmisserunt. Illis verò nocte in ecclesia quiescentibus, quædam peregrina mulier cum cæco infantulo aduenit, tota illa nocte in oratione peruigilans. & ecce manè videt infantulo redditum lumen, quod amiserat.

**Cap. 29.**

Indè recto itinere venerunt ad Gelnamum villam, ad quam vir Dei Ansoaldus obuiam progressus est cum turba Clericorum, vulgi & pauperum, cum thuribulis & suffimenti, cum Crucibus & accensis cereis, cum hymnis & canticis: sacrumq; corpus excipiens, perrexit ad urbem. Vbi tum quædam erat foemina, multis annis adeò curua, vt caput propemodum genibus inhæreret. Cumq; ea paululum sublatis oculis ad sancti martyris feretrum precata esset, corpori eius pristinus vigor rediit. Mirabatur pontifex & qui ei adstabant, virtutem Dei & beati martyris eius. Deinde cum canticis & magnis laudibus in suburbanam perueniente ecclesiam, in qua beata Radegundis quiescit. Ibi verò quidam curatus est paralyticus, idemque aliquantis pèr feretrum secutus, permanxit in columnis. Vbi autem ad beati Hilarij basilicam appor-tatum est sacrum corpus, alius paralyticus in via iacens, tacto retro, surrexit sanus. Paulopòst cæca puella inuocans sanctum martyrem, lumen recuperauit: atque ad eius tumulum perueniens, usque in præsens deuota ei inseruit.

**Cap. 30.**

Postea verò sacro corpore ex urbe Piëtauensi ipsius Episcopi Ansoaldi & sacerdotum ac ministrorum eius humeris aliquantis pèr exportato, atque usque ad viculum Zezoliolum honorificentissimè perducto, magna turba monachorum ex S. Maxentij cœnobio, vbi quandoquæ Abbatis erat funetus ministerio, lætabunda in eius venit occursum, suumq; pastorem magno studio suscipiens, cum psalmodia in ecclesia per-noctabat. Manè verò quædam mulier attulit infantem trium ferè annorum, propè exanimè, qui priusquam ad corpus sancti viri accederet, fertur exprimere animam. At nihilominus mater eum sub feretro depositum, & cum lachrymis inuocans sanctum martyrem: Domine mi, inquit, reddi me filii meum. Ita trium ferè horarum spatio illa deprecante, quasi de graui somno euigilans infans, voce qua potuit, ait ad matrem: Mater mea, vbi nàm es? Tum illa gaudens recepit filium rediuium, quem planxerat extinctum. Fuit hoc sanè ingens & stupendum miraculum, vnde etiam magna in populo fides excreuit de tati viri sanctitate, cuius gloria manet in celo sempiterna.

**Cap. 31.**

Rursus ergò sublatum est beatissimi martyris corpus, & eo, quo par erat, honore deportatum. In itinere autem occurrerunt ei duo pauperes, vir cum coniuge sua, alter vno, altera vtroque carens oculo. Vtroque ad feretrum accedente, mulier non hastans amborum oculorum recepit lumen: vir dubitans, mansit etiam altero lumine orbatus. Prius autem, quæ accederent, vir funiculo trahebat cæcam vxorem: Postea vxor videns, vicem reddidit viro, cæcum eum ducens per viam. Indè perrexerunt ire ad B. Maxentij monasteriū: in quo cùm vir beatus primò cœperit peruersorum hominū animos traducere ad colendū Deum, non sine iustissima Dei prouidentia factum videtur, vt ibidem superioris vitæ exemplis etiā miraculorū gloriam adiūgeret.

**Cap. 32.**

Et quideni cùm monachi eius cœnobij in eius properarent occursum, puella in atrio

**Merito fidei cæca iluminatur.**

atrio eius paralytica iacens, atque omnium membrorum officio destituta, cum san- Paralytica  
cti Leodegarij nomen audijisset, sanam se sensit. Id miraculum conspicati sunt, qui il- sit sanata.

licaderant, mox vero tanta vndique confluxit multitudo, ut atrium vix sufficeret ca-

piendis hominum turbis.

Interē mulier quādam cæca, ex longinqua regione veniens, cum ad sancti marty- Cap. 33.  
ris adiisset tumulum, lumen recepit. Adolescens quidam, itemque puella à dēmone Cœca & duo  
vexati, tremebundi eō venerunt, & per vomitum dēmone vñā cum sanguine reiecto, dāmoniaci  
curati sunt. Innumerā alia per id tempus sancti martyris virtutum signa claruere. Sa- curantur.

Nabantur cæci, surdi, muti, aridi, claudi, dāmoniaci.

Porro in sancti martyris honorem, iubente Ansoaldo pontifice, opera Audulphi Cap. 34.  
Abbatis monasterij, amplissimum extructū est templum, cuius structura alia est, quām Insigne &  
caterarum basilicarum. Eo templo exadificato, idem pōtis votum suum executu- plū cōdi-  
rus, cum omnibus ecclesiæ sua fæcerotibus, multisque proceribus & magna populi rem S. Leo- turin hono-  
caterua eō venit, & cum magnis laudibus sepulturę mandauit corpus beatissimi mar- degarij.  
tyris. Quo in loco quotidie cumulantur virtutum insignia in laudem & gloriam Do-  
mini nostri Iesu Christi, cui est honor & virtus in secula seculorum, Amen.

### VITA S. THOMÆ HEREFORDENSIS IN AN- GLIA EPISCOPI, CVIVS AVTHOR FIDE DIGNVS est, licet Anonymus. Stylum ferè mutauit F. Laur. Surius.

**S**ANCTVS Thomas Herefordensis Episcopus, in Bri- Octobris 2.  
tannia majori, quam nunc Angliam vocant, claris ortus S. Thomæ  
est natalibus, patre Vilhelmo de Cantilupo, matre Mi- parents.  
licenta Comitissa Ebroicensi. In ipsa pueritia puer doc-  
lis, atatem moribus superans, nulli animum voluptati  
dedit: sed à teneris annis Deū & timere, & colere cœpit.  
Cum enim literarum studijs imbuendus traditus esset, Pictas ad-  
quotidiè preces, quas horas Canonicas vocant, dicere, huic pueri.  
& Missæ intercessō solebat. Studiorum autem causa primò  
ad Academiam Oxoniensem, inde Lutetiam se contulit,  
vbi Logicę operam dans, & philosophię secreta rimatus,  
magisterij titulo ornatus est. Postea Oxoniā reuersus, Iuris Pontificij Doctor, &  
Academiarū eius Cancellarius creatus est. Quo in munere prudenter studuit causas  
discutere, ex aequo & bono ferre sententiam, actiones suas ad virtutis præscriptum  
componere, morum honestati deditus esse.

Porro cum eius fama increbresceret, quanuīs inuitus, coactus est esse Henrici ter- Fir Cancell-  
tij Angliæ Regis Cancellarius. Erat nanque sermone verax, consilio prouidus, in sua  
administranda functione fidelis. Et cum in plerisque honores mutent mores, non in  
melius quidem, sed in deterius: ille tanto affectus honore, in dies scipio melior fiebat,  
atque in quibuslibet causis vel negotijs tractandis manus ab omni prorsus munere  
excusit. Nec propter diuitium superbia tumentium fastum à veritate deflexit, nec  
propter pauperum abiectionem ab eis aures suas auertit, & misericordia atque hu-  
manitatis officia negavit.

Postquam autem Henricus Rex desit esse in viuis, vt sanctus Oxoniā redijt, & ad Magna cibi  
Theologia studia animum appellēs, Doctor effectus est. Magna sanè in cibo & potu & portū  
temperantia fuit, ita vt nemo vñquam vel domesticus, vel extraneus, eum viderit lar- parsimonia.  
gioribus siue epulis, siue poculis indulisse: immo tanta eius erat abstinentia, vt ple-  
runquè cum maiori appetentia à mensa surrexerit, quām ad eam accessisset. Tanta  
animi pietate & devotione rebus diuinis intererat, vt intuentum fidem & mores in-  
formaret: tanta in Missæ sacrificio lachrymarum ab eius oculis copia manabat, acsi  
coram se Christum Dominum in humana carne patientem videret.

Obrectationis virtutē valde detestabatur, & neque ipse vlli vñquam detrahere voluit,  
neque vt id ab alio fieret, quantūm quidem in ipso erat, permisit. Immō vero si quos  
audiret obrectantes, seueriter illos castigauit. Mantis & corporis eius tam fuit rara Insignis  
integritas & mundities, vt Robertus Cantuariensis Archiepiscopus, deinde Portuen- animi &  
sis Episcopus Cardinalis, publicè de eo Oxoniæ dixerit: Ita me Deus adiuet, quem corporis  
admodum hic homo sic mundus est hodiè, quod ad corporis & animi castitatem castitas.

Aaa attinet;